loqui potuit; vel certe debet intelligi, ne videatur Deus caussas positive de industria præbere ad male faciendum; quantumvis parato male facere. *Intentator malorum Deus est, neminemque tentat a*. Quamvis etiam verum, & positive concurrere ad actus malos, quantum ad esse physicum, quod habent; sed præterea quædam beneficia bono ac syncero animo conferre, quibus prævidet improbum abusurum. Quod est genus quoddam excæcationis & obdurationis positivæ; ut alibi docuimus. Abutuntur ineptissime hoc loco hæretici contra religionem votorum, eosque, qui se votis obligant, quasi eos, qui obligant se sic Deo, in bonum, Deus adducturus sit cum operantibus iniquitatem. Nam emittentes hæc vota, obligationesque, non declinant, sed se potius extollunt exaltantque & necessitatem sibi imponunt fœlicem; quæ ad meliora perurgeat. *Injiciunt pedem in compedes* honestissimos, *& in torques* ornatissimos *collum, quæ sunt eis in protectionem fortitudinis, in bases virtutis, stolam gloriæ, & in vincula, in alligaturam salutarem b*.

a Jacob. 1,12
Hoc loco ineptè abutuntur hæretici contra religionem votorum.
b Eccl. 6, 25. 30. 38.

Pax super Israel.) Nempe sit, vel erit, vel adducet Deus, postquam adduxerit Deus cum operantibus iniquitatem, atque præcipitaverit in interitum eos, qui declinant in obligationes. Nomine autem *pacis* docui sæpe comprehendi bona omnia, & id Augustinus c ostendit. Recte etiam Israeli dicebam prius convenire pacem, pacisque visionem, hoc est, juxta notationes horum nominum trias Israelis & Jerusalem, *videnti Deum & visionem pacis*; quia Deus ipse pax est. Videtur Paulus hæc verba transcripsisse in epistola ad Galatas d. *Et quicumque hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos, & misericordia & super Israel Dei*. Meminit hoc loco Augustinus Episcopalis salutationis in Missa, *Pax vobiscum*; (jam dici solet *vobis*) aitque illos, qui oderunt Jerusalem, qui oderunt pacem, qui volunt conscindere unitatem, qui non credunt paci, qui falsam pacem pronunciant in populo, & non illam habent, falsum dicere, & falsum audire, quum dicunt, audiuntve, *Pax vobiscum, & cum spiritu tuo*. Donatistas intelligit, & omnes iis similes schismaticos, qui separant se à pace Orbis terrarū, dissensiones amplectuntur, odiunt pacem, unitatem non diligunt. Legendus de eadem salutatione Johannes Stephanus Durandus e. De pacis autem bono sæpius alibi egimus. Habetur eadem formula precatoria in fine psalmi 127. juxta editionem Græcam, & nonnullorum Latinorum, *Pax super Israel*.

c 19. de civ. c. 21. & seq.
d cap. 6, 16.
e 3 de ritib. Eccl. cap. 15.

PSALMUS

CENTESIMUS VIGESIMUS QUINTUS.

Canticum graduum.

1. IN convertendo Dominus captivitatem Sion; facti sumus sicut consolati.
2. Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione.
Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.
3. Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.
4. Converte, Domine, captivitatem nostr am sicut torrens in Austro.
5. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.
6. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.
Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Titulus, & Argumentum.

Canticum graduum.

NIHIL habet peculiare titulus, sed omnium qui precesserunt maxime congruit argumento psalmi sui. Nam satis communis opinio est, facta redeundi à Cyro facultate captivis Judæis, hos in isto psalmo lætitiam suam decantare, ac Dei erga se admirabilem beneficentiam prædicare. Id præter alios Eusebius etiam affirmat, citatus ab Agellio; & innuit satis Athanasius Marcellino scribens, quod quæ sunt Esdræ, apud quem nempe reditus de captivitate describitur, psalmus iste cantat: Hieronymus f agi quoq; scribit de temporibus Zorobabel; quia vero non omnes remigraverant, ab illis, quibus id concessum fuerat, orationem ad Deum fundi, ut integrum esset de omnium liberatione gaudium, communisq; cunctorum exultatio & gratulatio. Hic vero typus est multo perfectioris libertatis à captivitate diaboli, erroris & peccati, ad Jerusalem duplicis Ecclesiæ militantis & triumphantis, ut omnes fere Catholici sentiunt, Hilario excepto, qui videtur typum ipsum & litteralem de eo negare sensum, per verum Messiam nostrum, quem frustra adhuc Judæi expectant, exponentes præsentem psalmū, quod R. Aben-Ezra præsertim facit, & alii in libro Tanhuma, ut meminit hoc loco Nebiensis post Galatinum g, de suo Messia secundo ex familia David, quem distinguunt ab alio ex familia Joseph; ita ut hoc occiso, ille sit miseros Judæos ex captivitate ista maxima liberaturus, in qua nunc tamdiu versantur. Quadrat singulari quadam ratione psalmus hic patientibus persequutionem, & ex ea liberatis. Qua in re quoniam Apostoli fuerunt insigniores, usurpant eum Ecclesia in officio vespertino illorum. Idem Athanasius recenset inter psalmos Eucharisticos, qui continent actionem gratiarum.

Argumentum.
f in Esa. c. 30
g l. 4. cap. 12.

Vers. 1.) In convertendo Dominus captivitatem Sion: facti sumus sicut consolati.

EXimium ex nuntio relaxatæ captivitatis consolationem percepisse in Babylone captivos, istis ipsorummet verbis significat: tantam, inquam, quanta censeri solet, quæ vere talis est, & nominari debet vera consolatio; & cui, præ illius magnitudine, vix credant illi ipsi, qui eam percipiunt; sed sibi quodammodo somniare videntur. Hæc sunt verba bona, verba consolatoria, quę respondisse Dominum Angelo, qui loquebatur in ipso scribit Zacharias h inenarrabilis lætitia est, juxta mysticum sensum, conversi ex animo ad Christum; ineffabilis consolatio serio redeuntis ad Deum, suosque dirigentis pedes in viam pacis, quam parit bona conscientia, contemtus omnium rerum terrenarum, odium & abominatio peccati, amor virtutis, desiderium, spesque cœlestis beatitudinis, & *Jerusalem, quæ sursum est, mater nostra i, cujus artifex & conditor DEUS K. Gaudete & laudate simul deserta Jerusalem*, inquit Esaias l, *quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem*. Hic mysticus Cyrus est Domini Christus verus m, quem *suscitavit Deus ad justitiam, & omnes vias ejus direxit, ut ædificaret civitatem suam & captivitatem suam*, populi sui, *dimitteret, non in pretio, neque in muneribus n*; quod Hieronymus Prophetæ utrumque declarans locum, simul cum præsenti loco psalmi nostri, de captivitate spirituali, deque Ecclesia interpretatur. Athanasius o applicat ad justos in limbo liberatos à Christo illuc descendente, quos & carmen istud cantantes inducit, *prævenientibus, qui conjuncti erant psallentibus, in medio juvencularum tympanistarum p*, istam captivam captivitatem duxit idem Christus, *ascendens in altum q*. Magnis omnibus & viris excelsis patria una est suprema Jerusalem, ait Nazianzenus r, in quam τὸ πολίτευμα *conversationem* s recondimus. Non cantat DEO amatoria ista & lęta, cum Austino t, nisi qui cum eodem, intrans in cubile suum, gemit inenarrabiles gemitus peregrinationis, & recordatur Jerusalem, extento in eam sursum corde, Jerusalem patriam tuam, Jerusalem matrem suam; & Deum super eam re-

Sensus loci.
h cap. 1. 13.
Sensus mysticus.
Consolatio & lætitia conversi ex animo ad Christum inenarrabiles sunt.
i Gal. 4. 26
K Hebr. 11. 10
l cap. 52. 9.
m cap. 45. 13
n vers. 13.
o Tractat. in pass. & Cruce Domini.
p ps. 67. 26
q ibid. v. 19 Ephes. 4. 8
r Orat. 25.
s Phil. 3. 20.
t 12. Confess. cap. 16.

gnatorem, illustratorem, patrem, tutorem, maritū, castas & fortes delicias, solidum gaudium, omnia bona ineffabilia, unum summum & verum bonū: nec avertitur, donec in ejus pacem matris charissimę, ubi sunt primitię spiritus sui, unde illi ista certa sūt, colligat Deus misericordia ejus totum quod ille est, à dispersione & deformitate, hac, præsentis nempe captivitatis, & conformet, atq; confirmet in æternum. Ejusdem istius gaudii testis quoq; optimus Bernardus a, scribens, quod plerumq; orantibus omnia viscerū succutiuntur occulta, ad memoriam gaudii illius, quod est in Jerusalem, quæ *sursum est, quæ est mater nostra* b, & lacrymarum unda vultus meditantium superfundit. Hoc ait esse *ponere Jerusalē in principio lætitiæ nostræ* c, quia finis illis repositus est, & in principium gaudii illius, quod hic quandoq; sentimus, stilla est, guttula est de flumine illo descendens, cujus *impetus lætificat civitatē Dei* d, Hoc etiam affirmari potest esse juxta unam loci præsentis expositionem, *fieri sicut consolatos*, non absolute ac simpliciter consolatos. Nam quamvis liberi simus in hac vita à captivitate diaboli & peccati, nec non legis scriptæ, ne simus horum servi per eam libertatem, qua nos Christus liberavit e, *prędicans nobis captivis remissionem*, seu *indulgentiam*, & conferens f; nihilominus adhuc *sentimus legem in membris, captivantem in lege peccati* g: adhuc redigere debemus *intellectum in captivitatem, in obsequiū Christi ac fidei* h; adhuc anima corpore continetur tamquā ergastulo, vinculis, carcere, sepulchro, ut sit σῶμα quasi σῆμα, vel quia σώζει, servat & coercet animam: de qua re Hieron. i, *adhuc ingemiscimus & parturimus vanitati subjecti & expectantes redemtionem corporis*, licet *habeamus primitias spiritus k*; *adhuc ingemiscimus gravati habitationem nostram, quæ de cęlo est, superindui cupientes & super vestiri* l: tandem *captivitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerat à robusto*, (diabolo) *salvabitur* m. Æstimare non potest libertatis beneficium, qui, quantum sit malum captivitas, non æstimat. Qui ceperunt aliques jure belli, captis sæpe parcunt, inquit Chrysost.: & si aut aquari, aut lignari, aut equos pascere jusserint, animam minime læserint. Qui peccati autem captivus factus est, habet sævum & barbarum dominum, qui cogit eum facere res turpissimas, & maxime probrosas; Allato deinde in exemplum proditore Juda, & hortatus, ut summo studio fugiamus tam sævum tyrannum, & cum eo bellemus, nec ei umquam reconciliemur, & liberati in libertate permaneamus; argumentatur de spirituali lætitia ista hoc modo: Si hic enim à barbaris liberati, consolationem acceperunt: multo magis oportet nos à peccato liberatos gaudere & exultare, & hanc lætitiam conservare immortalem; non autem eam perturbare ac confundere, eadem mala rursus aggredientes. Recte dixit confundere, quia Babylonia locus captivitatis, quæ istam præfiguravit, *confusionem* sonat, ut expendit August. dicens, mundum hunc & vitam nihil nisi confusionem esse, ubi quid agimus in spe vana, quum cognoscimus quid agimus, erubescimus, & gloriam, fructumve nos nullum habuisse deprehendimus *in his, in quibus nunc erubescimus* n. Exaggerat præterea Hilarius captivitatem spiritalem, de qua sola videtur litteraliter psal. intelligere, uti antea monui, facta ipsius comparatione cum corporali Liberos secundùm animam ostendit corpore captivos fuisse tres pueros, inter flammas cantantes o Danielem in fame leonum Prophetæ p prandio saturatum: Eleazar inter jura dominorū patriis suis legibus liberum q; cum matre sua Martyres septem Deo gratias inter nova mortis tormenta referentes r. Enumerat deinde variam & in fœliciorē in anima captivitatē, ab avaritia per corpus latrocinante ac grassante: à libidine, quæ si vicerit, communicat cum corpore servitutem; à luxu, ira, odio, temeritate, ebrietate, invidia, quibus imperantibus dominis & anima & corpus in commune famulantur. De singulis deinceps agit, per eleganter describens ipsorum sævam tyrannidem; suadensq; ut cognita sapientiæ doctrina, Dei predicatione, remissione peccatorum, resurrectione corporum, æternitatis consortio, regno cęlesti à dominantibus istis, de avaritia ad munificentiam transeamus, de libidinibus ad continentiā migremus, de ebrietate ad jejunia revertamur, de furore, temeritate, odio, livore ad placabilitatem, rationem, misericordiam, benignitatem evolemus. Nemo mirari satis valet magnitudinem beneficii tanti, propter hoc, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent ultra, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti; sed, Vivit, Dominus, qui eduxit, & adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas ejeceram eos illuc, & habitabunt in terra sua*. Longe illustrior liberatio fuit Ægyptiacæ, quam Babylonicæ captivitatis, idcirco de generali humani generis captivitate ac liberatione loquitur Jeremias t, qui etiam si eadem verba proferat prius de captivitate Babylonica, tamen exigunt in posteriore antecedentia & consequentia; ut de Christo, ac de facta per eū universali illa liberatione, intelligatur. Nec desunt, qui utriusque loci eumdem contendant de hac ipsa re sensum esse, propter dictam caussam, quia mirabilior fuit liberatio ex Ægypto, quā ex Babylone. Qui de hac explicant, ajunt; multo verius de spirituali per Christum accipi debere. Nil autem obstat, licet majus beneficium fuerit prima liberatio Ægyptiaca, quam Babylonica, hanc ob novitatem in caussa fuisse, ut prior saltem ad tempus, oblivioni traderetur, omnisque lætitia & gratulatio circa illam occuparetur. Non facile concedo duriorem servitutem in Chaldæa fuisse, quam in Ægypto; aut majus beneficium de hac liberari, quam ab illa u. Duravit Ægyptica minimum 215. annis: multa in ea edita miracula & portenta; exiit inde populus liber à jugo plurim gentium; in memoriam ejus inductum à Deo ipso festum perpetuum omnium maximum, quod hodieque ab Hebræis celebratur. Liberatio de terra Aquilonis est de potestate tenebrarum, & principis earum, qui est diabolus, de captivitate & servitute peccati, mortis, inferni, &c.

a serm. 2. in ad Apostoli Rom. 14. Regnum Dei non est esca & potus.
b Gal. 4. 26.
c ps. 136. 6.
d ps. 45. 5.
e Galat. 5. 1
f Esa. 61. 1.
g Rom. 7. 23
h 2. Cor. 10. 5
i 1. contra Rufin.
K Rom. 8. 23
l 2. Cor. 5. 2. 4
m Esa. 49. 24. 25.
Peccati captivus aliis omnibus captivis crudelius tractatur.
n Rom. 6. 21
Captivitatis spiritualis exaggeratio.
o Dan. 3. 26 & seqq. 1. 51 & seqq.
p cap. ult. 33. 38.
q 2. Machab 6. 18. & seqq
r cap. 7. toto.
s Jer. 23. 7. 8.
Aegyptiaca quam Babylonicæ captivitati illustrior liberatio.
t cap. 16. 14.
u Sic tamen Maldonat.

In convertendo Dominus captivitatem Sion.) Hieron., *quum converteret Dominus, &c.* Apud Trevetum *quum converterit*: quomodo habet etiam Psalterium vetus, & Augustinus, & idem Hieronymus alibi x. Prosper autem, *quum averteret*. Hylarius, *in convertendo & in avertendo, & dum avertit*. Non videtur satis apta constructio, *quum converterit, &c. facti sumus sicut consolati*, jungendo cum futuro præteritum. Et apud Augustinum longe post in Commentario legitur, *quū converterit*, exprimitque id in præterito dici. Negare non possumus, Interpretem nostrum clarius dicturum fuisse, *quum converteret Dominus*: quod Hebr. & Grecè dicitur cū propositione, בשוב יהוה *besciuu Jehovah*, ἐν τῷ ἐπιστρέψαι κύριον; quod alius apud Chrysostomum Interpres Græcus transtulit, ὅταν ἐπιστρέψῃ κύριον, *quum converteret*, aut *redire faciet Dominus*. Potuisset idem interpres noster in psalmi 4. verbis primis reddere *in invocando ego*, quod vertit, *quum invocarem*, & est בקראי *beKorei*, ἐν τῷ ἐπικαλεῖσθαί με: ubi Hieronymus, *invocante me*, & ibidem y pro *quum clamavero ad eum*,) in clamando ego (בקראי *beKorei* ἐν τῷ κεκραγέναι με: & in 9. z *in convertendo inimicum meum retrorsum*, בשוב *besciub*, ἐν τῷ ἀποστραφῆναι τὸν ἐχθρόν μου: ubi Hieronymus, *quū ceciderint inimici mei*. Symmachus, ἀναστραφέντων τῶν ἐχθρῶν *reversis inimicis mei*: Eadem phrasis psalmi 101. a, *in conveniendo populos in unum*: & 141. b *in deficiendo ex me spiritum meum*: in 113. c *In exitu Israel de Ægypto*, potuit verti, *in exeundo Israel*, sive in nominativo casu, ut hic, seu melius in accusativo, *Israelem*. Chaldaicè hoc loco, כד יתיב *chad jetbiu*, *quando convertet*. Posset utcumq; suspicio esse ab Interprete positum in accusativo, *in convertendo Dominum*, vel *Domino* in ablativo; quamvis tunc melius dixisset, *in convertente Domino*, sed nihil mutandum; quia melius est, ut reprehendant Grammatici, quā non intelligant populi, inquit Augustinus d: & observat e infirmiores esse, qui doctiores videri volentes, offenduntur barbarismis, aut solœcismis: Ambrosius f vero scribens, nihil interesse *præsepæ* ne dicas, an *præsepium*; negat cum Demosthene g, in hoc positas esse fortunas Greciæ, nesque negligere dicit verba debere spectare mysteria, quibus vincit sermonis utilitas. Gregorius h indignum vehementer existimat, ut verba cœlestis oraculi restringantur sub regulis Donati. Arnobius Africanus, librorū adversus gentes Auctor, gentibus objicientibus obsitas barbarismis & solecismis res nostras, respondet i, puerilem; atque angusti pectoris reprehensionem esse: nihil officere, aut minus id, quod dicitur, verum esse, si in numero peccetur, aut casu præpositione, participio, conjunctione; pompam istam sermonis, & orationem mistam per regulas concionibus, litibus, foro, judiciisque servandam. Plura idem ille eadem de re: sed pro instituto nos forsitam nimis hic multa. Denique *convertere captivitatē*, potest significare colligere & congregare; quemadmodum gallina, vel avis alia, dispersos pullos congregat sub alas. Ad hunc modum; quando Arca olim deponebatur, & filii Israel circa eā ca-

x in Esa. c. 37
y vers. 4
z vers. 4
a vers. 23
b vers. 4.
c vers. 1
d in ps. 138
e 2. de doctr. 13
f in Luc. 3
g orat. pro Cresiph
h Præfat. in lib. moral. 1 cap. ult.
Verba cœlestis oraculi non restringēda sunt sub regulis Grammaticæ.
i lib. 1.

stra

ctra metabantur, Moyſes dicebat, ἐπίστρεφε κύριε χιλιάδας μυριάδας ἐν τῷ ἰσραήλ, quod Interpretes extulit a, revertere Domine ad multitudinem exercitus Iſrael, ad verbum converte Domine millies dena millia in Iſrael: Hebraicè, שיבה ſbiuua, &c. Quod ad ſententiã vero ipſam ſpectat, notatu dignum, quod licet ſumma quadam Cyrus Rex benignitate Judæis libertatem reſtitueris, poteſtatemque in patriam redeundi fecerit: nihilominus ipſimet Domino Deo attribuitur converſio iſta captivitatis: quemadmodum captivitas eidem adſcribatur, quoniã idem mortificat & vivificat, & deducit ad inferos & reducit b. Eidem Cyro præcepit Deus, ut Jacob liberaret, ſuſcitans ſpiritum, ut ædificaret ei domum in Jeruſalem c. Joſephus d quoque narrat, quod populus Deo benignitatẽ Regiam acceptam retulit, & illum maxime dignum, cui gratiæ agerentur, exiſtimavit. Nehemias etiam permiſſus reverti cũ epiſt. Regiis ſcribit: da illas à Rege ſibi juxta manum Dei ſub bonam ſecum e. Advertendum præterea, populi captivitatẽ, quam David paullo poſt f vocat noſtram, appellari captivitatem Sion, in quo urbis Jeruſalem monte, templum fuerat & religioni dicatus locus, ac propria Arcæ ſedes, in qua Deus peculiariter præſens cenſebatur. Æſtimat Propheta captivam ipſammet Sion, templum, Arcam, quia captivo populo religioſo non liceat Deum ibi colere ritu illo, quo coli volebat in deſtinato illo loco: Heli accepto nuntio Arcam Dei captam, cadens mortuus eſt g, & nurus ejus mortua eſt ex partu, anteque mortem filium nominavit Ichabod, eo quod Arca capta translatam diceret gloriã de Iſrael h. Nominare hic ſe Iſraelitæ inducuntur captivos Sion, & innunt præcipuam injuriam irrogatam Sioni temploque; ideo cauſſam Dei agi, ſibi autem honorificum eſſe pati captivitatem propter illum. Hoc titulo maxime gloriabatur Paulus, ut ſe vinctum Domini Jeſu Chriſti cognominaret i, & nominaret honorifice catenam ſuam k, & vincula l; quod perpendunt Ignatius m, Cyprianus n, Chryſoſtomus o, Auguſtinus p.

Facti ſumus ſicut conſolati.) Hieron. *ſicut ſomniantes* כחלמים *chcholemim.* Is autem, qui creditur Hieron., ait, eo modo editiones omnes pariter tranſtuliſſe. Id notat præterea Chryſoſt. ὡσεὶ ἐνύπνια ζώμενοι. Chaldaicè, *quando convertet Dominus captivitatem Sion, ſimiles erimus dormientibus, qui evigilant à ſomnis ſuis.* Apud Nebienſem, *erimus veluti infirmi, qui convaluerunt*: videlicet qui moleſtia ſomnia paſſi ſunt, expergefacti gaudent tantum ſomnia fuiſſe, non vera pericula & mala: & qui convaleſcunt, lætantur ſe ex infirmitate evaſiſſe. Ita vero apud Eſaiam q, *Corripies me, & vivificabis me*, Græcè eſt καὶ παρακληθεὶς ἔζησα, *& conſolatus vixi*. Hebraicè ותחיני ותחלימני *vethachalimeni vehachaieni, tu me ſomno degravabis, rurſum vivificabis*: vel *ſanabis me & vivificabis me*. Translationis autem ex Hebræo ſenſus poteſt etiam eſſe, præ magnitudine gaudii ob liberationem, captivitatem precedentem, viſam eſſe merum ſõnium; aut ipſammet liberationem. Sic olim exponebamus, Petrum exiſtimaſſe ſe viſum videre, nec ſciviſſe verum eſſe, quod fiebat per Angelum, quando is illum educebat de carcere r: ſic quod narrat Livius ſ, Græcos victos à Romanis, quum audiſſent libertatem ſibi ab illis condonari, majus gaudium ſenſiſſe, quã quod univerſum homines caperent; & vix quum crederent, aliiq; alios intuerentur mirabundi, velut ſomni vanam ſpeciem arbitratos. Sic apud Poetas tragicos præſertim,

An vigilo? teneone ego te? vix mihi ipſi credo:
Vera ne te facies; verus mihi nuntius affers?

Quum quid nimirum, inexpectatũ accidit, ſeu bonum, ſeu malum: Sic accepto Jacob, quod Joſeph viveret, quaſi de ſomno evigilans, filiis affirmantibus credere non poterat t: ſic Apoſtoli habentes ante ſe ſuſcitantem Chriſtum, *non credebant, & mirabuntur præ gaudio* u. Grecè, *non credeban pre gaudio, & mirabantur* ἀπιστούντων αὐτῶν ἀπὸ τῆς χαρᾶς, καὶ θαυμαζόντων. Et eodẽ ordine reddit Syrus interpres, vi videlicet quum crederẽt, ſatiari quodammodo argumentis fidei, quæ habebant; non poterant, & magis ac magis credere volebant. Sic z.

Credimus? an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt? Sic Apianus a narrat capta Carthagine à Scipione, Romanos vix ſibi crediidiſſe de victoria, rogitaſſeq; iterum ac iterum inter ſe, num certo conſtaret dirutam Cartaginem? Participium Hebrẹum, quod retuli, ſignificat etiam pingueſcẽtes, & ſanos, quaſi optimatos beneq; compactos, adipatos, & ſomniis refectos. Conſolatos & παρακεκλημένους intel-

a Num. 10. 36 — b 1. Reg. 2. 6. — c 2. Par. 36. 22. 23. 1. Eſd. 1. 1. 2. 3. Jer. 29. 10. 11. 12. 13. 14. — d lib. 11. antiq. cap. 5. — e 2 Eſdr. 2. 8. 12. — f verſ. 4. — g 1. Reg. 4. 17. 18. — h verſ. 20. 21. 22. — i Epheſ. 3. 1. & 4. 1. Coloſſ. 4. 3. 2. Tim. 1. 8. ad Philem. verſ. 1. 9. — k 2. Tim. 1. 16. Epheſ. 6. 20. — l 2. Tim. 2. 9. Coloſſ. 4. 18. Philem. v. 10. 13. Phil. 1. 7. 13. 14. — m epiſt. 11. — n epiſt. 67. — o homil. 8. in ep. ad Epheſ. hom. 10. in epiſt. ad Coloſſ. hom. 16. ad pop. hom. de patient. hom. 8. in 2. ad Tim. — p ſer. 29. de ſanct. — q cap. 38. 6. — Rebus veris magnitudo gaudii meri ſomni ſpeciem præbet — r Act. 12. 9 — ſ lib. 33. — t Gen. 45. 26 — u Luc. 24. 41 — z Virg. ecl. 8. — a De bellis Pun. ſub finem.

A lexerunt LXX *captivos, qui ſunt liberati*, quia in captivitate labor & inedia macerant & emaciant corpus; vulgo quoq; dicimus quẽpiam gaudio riſuq; pingueſcere. Sed & quod ſequitur de ore, quod tunc repletum fuerit gaudio & lingua exultatione, repræſentare videtur quaſi bucella os repletum, tumenteſq; inde genas, quales eſſe pinguibus ſolent, qui iidem læti etiam ſolent eſſe & conſolati, & conſtitutionis hilarioris; ſimili quadam ratione in alio pſ. b canebat David votive. *ſicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.* Quod autem apponitur particula, *ſicut* ὡσεὶ כ *che*, non minuit, ſed confirmat potius, ac etiam auget, ut *ſicut conſolati*, intelligantur vere valdeq; conſolati. Annotant hoc Theodoretus, Euthymius, Nicephorus nempe ὡσεὶ valere ad ἐπίτασιν *intentionem* ac *exaggerationem*, idemq; valere atque λίαν *valde*. Auguſt. preterea interpretans, *facti ſumus ſicut gaudentes*, monet. *ſicut*, vel *quaſi*, non ſemper ad ſimilitudinem poni; ſeu aliquando ad proprietatem. Poſterioris acceptionis, quàm vult eſſe præſentis loci, exempla de communi hominum locutione profert, fecit ſicut vir bo-
B nus, tamquam juſtus, ſicut ſenator. Ergo, quia & iſti vere conſolati erant, ſicut conſolati gaudebant, ideſt, magnum erat gaudium ipſorum; ipſorum, tamquam conſolatorum ſic exponit ille de conſolatione & gaudio, quod gignit magnum ſpes, ſed quia hoc adhuc hic gaudium imperfectum eſt, imperfectionem ac imminutionem innuit particula. *ſicut Spe* quidem *gaudemus*, ſed *dum in tribulatione ſumus patientes* c: & *ſpes, quæ differtur, affligit animam* d, ſicq; gaudii imperfectionem importat; quæ imperfectio poſſet præterea recte denotari per aliam translationem, quæ reddit *ſomniantes*, nam ſi comparetur quevis lætitia præſentis vitæ, præſertim ſi non ſit ſpiritualis, cum illa, quam Beati cupiunt, ſomnium cenſebitur, & de nobis uſurpari hic adhuc diligentibus poteſt, quod *dormimus ſomnum noſtrum, & nihil invenimus in manibus noſtris* e: *ſomniamus eſurientes, & comedimus. ſed expergefactis vacua eſt animẹ: bibimus & laſſi adhuc ſitimus* f. Putatus Hieron. ſecutus eſt hanc expoſitionẽ, dicens pulchre alios vertiſſe *ſolemniantes*, quia nondum eſt plena lẹtitia in captivitate reliquis conſtitutis. Indicat hic loqui liberato-
C rum partem ut initio dixi nonnullos Græcos ſentire. Quo pacto utcumq; poſſent beati jam dici *ſomniantes, & quaſi*, hoc eſt, nondum plene, *conſolati*, quia nondum ipſis aſſociati ſunt omnes electi ad gaudii communis complementum. Hilarius idem obſervavit, quia nunc *ex parte ſcimus & prophetamus* g, & *hic ingemiſcimus* h, *& liberari* cupimus *de corpore mortis hujus: diſſolvi* i, *& eſſe cum Chriſto* k: *paraclitum, conſolatorem habentes nunc* l, *expectamus alium cum revelatione filiorum Dei* m, quæ conſummata conſolatio erit Hieron. item n alibi exponens *panem arctum & aquã brevem* o, de lætitia imperfecta ſub Zorobabel, eodem refer preſentẽ locum *facti ſumus ſicut conſolati*, ut non conſolationem plenam atque perfectam, ſed ſimilitudinem conſolationis acciperent. Rurſum idem vocatus Hieron. explanans verba 86. p pſal.: *ſicut lẹtantiũ omniũ habitatio eſt in te*, notat ibi, hic addi, *ſicut*, quoniam in præſenti ſæculo quoniam aliquis ſanctus ſit, quamvis renunciet ſẹculo, non habet perfectam victoriã: & quia cùm dicantur *beati, qui* hic *lugent flentque*; q manifeſtum eſt, quoniam in præſenti ſẹculo non perfecta lætitia, ſed quaſi
D lẹtitia. Id quidem verum eſt comparativè loquendo; nihilominus præſtat, cum quadam licet imperfectione, veritatem conſolationis intelligere. Imò ad litteram exiſtimo non inſinuari hoc loco imperfectionem, ſed perfectionem atque magnitudinem conſolationis: Confirmatur apud Euthymium ex primis pſalmis 72. verbis *quã bonus Iſrael DEUS*, ubi eſt, ὡς, quamvis Hebraicè alia particula אך *ach*. Denique, ſi quis accipiendum contendat, *ſicut*, ſimilitudinarie, pertinere adhuc poterit ad orationis incrementum, hoc pacto, ut ſimilis intelligatur ea conſolatio magna illi, qua poſt multa & gravia mala, poſt plurimas res triſtes & adverſas, inſperata ingenti lætitia perfuſi obſtupeſcimus attonitique reddimur; quemadmodum paullo ante dicebam de iis, qui ſibi ſomniare videntur. Hunc ſtuporem ac inenarrabilem, ſecum affereuntres divinæ lætitam, quam ipſamet Seraphim præ ſe ferunt, quum velerant alis facies, & exclamant Deum ter Sanctum r. Denique verbo Græco hujus loci poſſet ſignificari ὡς παρακεκλημένοι *ſicut exhortati*; bono & erecto animo eſſe juſſi, omni timore pulſo. Nulla exuli & captivo conſolatio vera extra patriam, ſuntque hic

a ſola-

b pſ. 62. 6. — c Rom. 12. 12 — d Prov. 13. 12 — e pſ. 75. 6. — f Eſa. 29. 8. — g 1. Cor. 13. 9 — h Rom. 8. 23. — i cap. 7. 24. — k Phil. 1. 23 — l Joan. 14. 16 — m Rom. 8. 23 — n in Eſ. c. 30 — o Eſa. 30. 20 — p verſ. ult. — q Matt. 5. 4. Luc. cap. 6. 25 — r Eſa. 6. 2. 3. — Nulla exuli & captivo extra patria conſolatio vera.

a *ſolatia luctus*
Exigua ingentis.
Nulla liquida lẹtitia, ſed omnia conſtant etiam proſpera
Lætitia, mixtoque metu b.
Laus Ezechiæ, quod *ſpiritu magno videns ultima, ſit conſolatus lugentes in Sione* c: & Simeonis, quod *expectaret conſolationem Iſrael* d. Hic quaſi triſtes, ſemper tamen gaudentes cenſemur e; quia nihil reputamus triſtitiam, quæ tanta deinde lætitia compenſabitur.

Verſ. 2. (Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione. Tunc dicent inter gentes, magnificavit Dominus facere cum eis.

Senſus loci. Poſſent hẹc etiam in prẹterito verti; aut quẹ priore verſu dicta ſunt in eo tempore, ſumi prophetice tamquã futura, ob prædictionis certitudinẽ: & quidam Grẹcus anonymus Auctor ab Agelio citatus, de futura adhuc, necdumque facta liberatione iſtum & præcedentem verſum explanat. Eſt autem ſenſus, quaſi dicant captivi, quum converterit Dominus captivitatẽ Sion, erimus conſolati, tuncque replebitur gaudio os noſtrum, plenoque ore reddemus hymnum, & lingua formabimus lætam, atque voce alta laudationem, gratulationem jubilationem. *In terra aliena cantare* non poſſumus *canticum Domini* f, cantabimus in noſtram reverſi: hic *adhæret lingua faucibus* g, ibi *ſolutio vinculo linguæ* h laxique illius fibris, diſerte, clarè, modulatè pronunciabimus, & *annunciabimus laudem Dei, Deo ipſo aſpiciente labia noſtra* i. Tunc præterea, quotquot ubi vis gentium nuncium audiverint de ſolvenda captivitate noſtra per ipſummet Regẽ Cyrum, qui captivos detinebat, idque tùm exacte poſt cõpletos annos ſeptuaginta, quemadmodum Jeremias k vaticinatus fuerat; tùm promtiſſima & liberaliſſima Regis voluntate, qui ſe id etiam affirmabat facere juſſu Dei cœli, à quo accepiſſe quoque ſe regnum agnoſcebat; ſummis laudibus eumdem Deum extollent, & beatiſſimos Hebr. tanti Dei cultores celebrabunt, qui tam magno beneficio eos affecerit. Si retineatur diſtinctio temporum, intelligendum erit futurum de Gentibus, quæ priuſquam liberatio ipſa fieret, audito nuntio quod futura eſſet, dicturæ eſſent inter ſe: Magna fecit, hoc eſt, fieri decrevit Deus cũ populo Judeorum. Nemo porro non percipit, quam belle congruant iſta revocatis de captivitate Diaboli & ſæculi, nec non illis, qui ad ſanctius vitæ vocantur inſtitutum, qui ſe ipſos capere præ lætitia nequeunt, eos autem infideles ipſis, aut ſæculares, tametſi imitari nolunt, non poſſunt, quin fẹlices exclament, & magnis à Deo, eximiiſque muneribus ornatos. *Et ſcient in gentibus*, ait Eſa., l *ſemen eorũ & germen eorũ in medio populorum: omnes qui viderint eos cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus. Gaudens gaudebo Domino, &c.* Primis item illis Eccleſiæ initiis, nemo ex infidelibus audebat ſe conjungere Apoſtolis: ſed magnificabat eos populos m. Quo loco admonet Rick. ut & in iſto, commendari à multis Religioſos, devotoſque, quos imitari tamen hi, qui commendant, nolunt; laudari ab iis Deũ cum admiratione, nec tamen ſimilem ſibi à Deo gratiã precari, vel optare. Revera *non eſt Deus noſter, ut Deus aliorum, & inimici noſtri ſunt Judices*, n *in omni gente quẹ audit nomen fideliũ magnificabitur ſuper nos Deus noſter.* o *Quos prædeſtinavit Deus, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, & quos juſtificavit, hos & magnificavit*; p peccata dimittendo, virtutes conferendo, in filios adoptando, miracula per eos operando, gloriam promittendo, externis etiam ornando muneribus, quæ colligit inſignis de Eccleſia Thomas Bozius, & alii: Non ſufficientia ſunt, ait Hilarius ad reddendas Deo laudes linguæ noſtræ, atque oris officia. Ubi vero enumeravit divinæ in nobis mutationis varios modos, aſſerit, quod hanc Gentes contuentes & contemplantes Dei, in nos magnificentia admirantur. Ipſe modeſti oris, vultuſque in Luciano Presb. habitus injecit infidelibus admirationem tantam, ut non niſi verum ab eo coli Deum affirmarent, qui tam honeſtis moribus ornatus eſſet. At vero gaudium iſtud & exultationem prædixit q Eſaias, quam captivi caperent ex indulgentia, clauſi ex apertione, lugentes Sion ex conſolatione. Apud Jeremiam r invitat Deus *ad exultandum in lætitia* Jacob *hinniendum, perſonandum, canendum*: & pollicetur *adducturum ſe de terra Aquilonis, & congregaturum ab extremis ter-*

a Æn. 11. — b Æn. — c Eccl. 48. 27 — d Luc. 2. 25. — e 2. Cor. 6. — f pſ. 136. 4. — g verſ. 5. — h Luc. 1. 64 — i pſ. 50. 17. — K 1. Eſdr. 1. 2. 3. 2. Paral. 36. 22. 23. Jerem. 29. 10. & ſeq. — l cap. 61. 9. 10 — m Act. 5. 13 — n Deut. 32. 31 — o Judith. 13. 3. — p Rom. 8. 30 — Linguæ noſtræ ad reddendas Deo laudes non ſufficiunt. — q cap. 61. 1. 2 — r cap. 31. 7. 8. 9.

ræ, foreque ut in fletu veniant, ſed in miſericordia reducantur.

Tunc repletum eſt gaudio bos noſtrum.) Hieronymus, *tunc implebitur riſu os noſtrum.* De diverſitate temporum dixi antea. Nec arbitror, Paraphraſten Chaldæum data opera per futurum tempus omnia rediddiſſe, ut ſuſpicatur Scepræus, exiſtimans, hunc Aquilam Ponticum fuiſſe ex Chriſtiano Judæorum *Riſum* proprie ſignificat סחוק *ſechoK*, unde *Iſaac* à riſu matris ſ. *Os* etiam ſi Latinẽ pro facie tota ſumatur, non ita videtur accipi פה *peh*. Sed *faciẽ* Hebræi vocant פנים *panim*, nec facile στόμα aliud valet, quam peculiarem partem: ſive quantum diducta patent labra; ſive id omne ſpatium, quod labris deductis interjacet ad imas uſque fauces, in quo ſpatio continentur duæ tonſillæ, gurgulio, palatum, lingua, dentes. Sed & riſum quamvis facies integra quodammodo exhibeat, vel ejus quoddam effectum, ſignumve, quum ſplendidor apparet, aut rubicundior; magis proprie cenſetur conſiſtere in peculiari parte, quæ *os* dicitur, exprimique ipſo nonnihil hiſcente & aperto, ut docet Philoſophus t. In libro Job u *impleri os riſu & labia jubilo* ſcribuntur, nimirum ex redundantia interni gaudii. Similiſquoque phraſis in 70. x
B pſalmo; *repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinẽ tuam.* Repletio iſta oris gaudio perſuadet quaſi conſolatos priore verſu, valde conſolatos, non per ſimilitudinem dumtaxat, vel ſomnium, & imaginationem conſolatos. In pſalmo 136. y captivi negant quiſque pro ſe *cantaturos canticum Domini in terra aliena*; & aſſerunt *linguam adhæſurã facibus*, retenta licet memoria Jeruſalem. Hic omnes concorditer *os* & *linguam* nominant in numero ſingulari, tamquam omnium unam & labium: quod quum eſſet ante unum, ſuperbia in tot linguas diſpertivit z. Os corporẹum ſi plenum ſit, loqui non poſſumus, inquit Auguſtinus, volens proinde de ore ſpirituali ſermonem eſſe multaque docte ac pie diſputans de corde illo ſpirituali: & quo pacto ex eo pendeat bonitas omnis & malitia operum noſtrorum. Nihilominus phraſi ſatis trita dicitur *os repleri gaudio*, aut *laude*, aut *riſu*: & profani pleneore quidpiam dici ajunt, cum libere, aut hilariter dicitur. Sic ex pſalmo 13. a *vidimus os maleditione & amaritudine plenum*: & in 70. b *lande* ut paullo ante dixi: *clamare* item *plena voce* c Jeremias uſurpavit: Job d *replere os increpationibus*: David e rurſus *implere dilata-*
C *tum os.*

Diſtinguit Hugo riſum carnalem, in vanum, fictum; manifeſtum, de re inepta orientem, quem Sapiens f *errorem* vocat, decipique fruſtra aſſerit qui labiis tantum fit, non procedit ex corde, qualis ficti amici applaudentis, amplexantis, *ſubridendo ac ſupplantado, ſpem dantis, narrantis bona, dicentis quod opus eſt tibi, confundentis te in cibis ſuis, donec te exinaniat bis & ter, & in noviſſimis deridentis te* g: & *quum fraudulenter nocuerit, deprehenſus autem fuerit, cauſantis quod ludens fecerit*: qui fit cum cachinno & *exaltando vocem* i. Spiritualem riſum triplicem quoque facit: Verum de bona conſcientia, quia *cor, quod novit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio ejus non miſcebitur extraneus* k: Occultum quo *gaudet cor*: l & *repletur anima tamquam ſplendoribus* internis, *oſſaque liberantur* m: Manifeſtum, quo *ridebimus in die noviſſimo* n: quia tunc *tempus ridendi*, nunc *flendi* o: & *beati, qui nunc flent, quia ridebunt* p. Eadem tranſcripſit Greveus q, addens carnalibus riſus formis, etiam occultam hypocritæ, qui triſtis eſt exterius, occulte laſcivit: quemadmodum Sara, quum non crederet Domino, *riſit poſt oſtium* r, quod eſt, inquit Greveus, ridere poſt Chriſtũ,
D qui dicitur *oſtium* ſ: ideſt, vitæ ſanctitatem ſimulare. Addit, ſicut Iſaac non eſt natus Abrahæ, niſi centenario t; ita nonniſi in futuro ſæculo expectandum riſum: vel certe hic nonniſi bene ac diu in virtutibus exercitato; & tunc quidem *alligandum Iſaac* u, ut ipſamet lætitia ſpiritualis cohibeatur, ne in diſſolutionem tranſeat. Quum hinc emigraverimus, *replebitur gaudio os noſtrum, implebitur os riſu, labia jubilo* x, *lingua exultatione de fructu oris replebitur venter* y. Sed reprobis quibus modo *ſuavis eſt panis mendacii, poſtea impletur os calculoz, eritque* ipſis *fletus & ſtridor dentium* a; *commanducabunt linguas præ dolore, & blaſphemabunt Deũ cœli præ dolorib. & vulneribus ſuis nec agent pœnitentiam ex operibus ſuis* b. Nunc plorant & flent juſti, *mundus gaudet; ſed tunc illorũ triſtitia vertetur in gaudium* c, immo toti *intrabũt in gaudium Domini* d, non ſolum plenum os habentes, ſed oſſa omnia, corpus animumque ſecundùm omnes partes.

Et

ſ Gen. 21. 3. 6 — t ſect. 11. problem. in 15. — u cap. 8. 21. — x verſ. 8. — y verſ. 4. — z Gen. 11. 8. — a verſ. 3. — b verſ. 8. — c cap. 12. 6 — d cap. 23. 4. — e pſ. 80. 11. — f Eccleſ. 2. 2. — g Eccl. 13. 8 — h Prov. 26. 19 — i Eccl. 21. 23 — Spiritualis riſus triplex. — k Prov. 14. 10. — l Joan. 16. 22 — m Eſa. 58. 11 — n Prov. 31. 25 — o Eccleſ. 3. 4 — p Luc. 6. 21 — q ſerm. 283. — r Gen. 18. 10 — ſ Joan. 10. 7. 9 — t Geneſ. 21. 5 — u cap. 22. 9 — x Job. 8. 21. — y Prov. 18. 20 — z cap. 20. 17. — a Matt. 8. 12. 14. 42. 50. c. 22. 13. c. 24. 51. cap. 25. 30. Luc. 13. 28. — b Apoc. 16. 10. 11. — c Joan. 16. 20 — d Matt. 25. 21

Et lingua nostra exultatione.) Hieronymus, *laude*. Posuit quoque Aquila ἄνεσιν, *laudationem*: Symmachus vero εὐφημίαν, *benedictionem*. Significat רנה *rinnah*, ut sępe monui, *ovationem*, *jubilationem*, *cantum*, *exultationem*, *præconium*, *precationem*, *clamorem*, sive *cantando edatur*, & *lætitiam*, *sive ob luctum*, *sive ob præconium & laudem*; *sive adorandum & precandum*, *sive ad quidpiam evulgandum*. Sed hic locus exigit exultationem, jubilum, laudem, & similia. Videri potest idem hoc membro repeti, quod erat in præcedente; sed repetitio valet ad inuendum & augendum affectum ac declarandum, quam ad cantica divina, si revertendi daretur facultas, parati essent; quum ne invitati quidem à Babyloniis, proferre voluerint verba cantionum; sed nec Domini canticum; atque cum quadam execratione protestati sint, adhæsuram potius linguam faucibus, quam ut non meminissent ruinarum Jerusalem, aut aliam admitterent lætitiam, quam de ejusdem restauratione. Jam ergo religione quodammodo juramenti soluti postquam vel in patriam sunt reversi, vel propter certum de reversione nuntium; hìc affirmant os gaudio plenum, & exultatione linguam se habere. Tanti refert voti promissionem Deo mox, fideliterque solvere, ut Joannes Marquez Hispano uno sermone *a* demonstrat ex his, quos in præsentem psalmum edidit, & nos alias non semel. Huc spectare præterea posset grati animi commendatio, & quod pro acceptis beneficiis collatori gratiæ referendæ fiat, vel habendæ saltem orationis & vocis ipsum laudantis, declaratione. Qua etiam de re actum alibi.

a *in vers. 2. consider. 3.*

Tunc dicent inter gentes.) Hieronymus, *in gentibus*, quę גוים *goim* dicuntur, nomine sæpe communi gentilibus & Judæis, quemadmodum est nomen Græcum ἔθνη commune: multo autem magis Chaldæum עממיא *hhamemaiia*, ut frequenter monuimus. Hoc loco antithesis requirit, ut Gentiles intelligantur, qui dicant quod sequitur, *Magnificavit Dominus facere cum eis*. Hi autem qui audita fama futuræ liberationis Judæorum per Cyrum, id dicent, non tantum sunt subjecti Imperio Cyri, ut ait Rickelius, verũ etiam omnes ubique, ad quos hujusce adeo mirabilis liberationis fama pervenerit. Quare non satis cohęret interpretatio Scepræi, quod alii dicent de Gentilibus, nisi fortę mystico sensu; quatenus inter ipsos Gentiles, hi, qui nondum fideles, viderint eximia Dei beneficia in eos, qui fidē fuerint amplexi eum admiratione de iis loquuturi sunt. Quod ipsimet Judæi, velint, nolint, non possunt, quin affirment. Isidorus *b* hinc elicit, propter omnes etiam gentes, non solum propter Judęos, testamentum legis datum. Mirabantur ex circumcisione fideles in principio, Gentes quoque *recipisse verbum Dei* c, & *glorificabant Deum, quod & illis pœnitentiam dedisset Deus ad vitam d*; & *obstupescebant, quia & in illas gratia Spiritus sancti effusa esset e*. Violentior expositio Hugonis, quod conversi dicent præ gaudio inter Gentes nondũ conversas, ut convertantur, juxta illud *f*: *Qui audit, dicat, Venit*: & *g Apprehendens fimbrias viri Judæi, dicentes, Ibimus vobiscum*; id, inquam, quod dicent, continetur proxime sequentibus verbis, quibus dicentem non invitant alios, sed celebrant aliorum fœlicitatem. Et nisi verum est, quod inter Gentes dixerunt; annunciaverunt opera Dei ex Judęis missi a Christo Apostoli, qui suomet sanguine ditionem Christi amplificaverunt multo fortius, nobilius, latius, quam Phileni fratres Carthaginensium, accepta conditione à Cyrenenensibus, ut vivi obruerentur, ubi fines protendere suorum volebant *h* Rahab celebrem esse dixi famam apud Moabitas contribules suos, de mirificis Dei operibus erga populum suum, hac de caussa exploratores eorum excepit, ac se demum ad eos adjunxit *i*. Achior similia narrans Holopherni, ac dimissus propterea ejectusque ad Hebr. horum complexus est religionem *k*: crebro Hebr. precabantur Deum, ne ipsi, vel ille in opprobrium essent Gentibus.

b *de gent. vocat. cap. 19* — Testamentũ legis propter omnes gentes datum. — c *Act. 11. 1. 2* — d *vers. 18.* — e *cap. 10. 45.* — f *Apoc. ult. 18* — g *Zach. 8. 23* — h *Sallust. de bel. Jugurth.* — i *Jos. 2. 1. & seq.* — k *Judith. 5. & 8. & 13. 14.*

Magnificavit Deus facere cum eis.) Chaldaicè, *multiplicavit Dominus benigne facere cum illis*. Similis phrasis in Joele *l*, *Noli timere terra, exulta & lætare, quoniam magnificavit Dominus, ut faceret*: idest, magna tecum facturus est, magnis bonis, & fœcunditate affecturus. Alias quum addito dicitur Deus *magnificare misericordiam suã cum aliquo m*, se *quam facit cum aliquo n*. Euthymius autem notat hìc idioma Hebr. linguæ esse dicere, *Dominus fecit cum illo*; subintelligique debere *misericordiam*. Fieri potest, ut gentibus, sive apud quas ærumnosi Judæi detenti fuerant per annos 70. sive aliis, quibus renuntiatum fuerat: visa sit nimia quędam, nimisq; magnifica Dei in captivis Judæis liberandis liberalitas: scilicet quam ipsis invidebant, quia ipsos oderant: simulq; tacite Deum accusare visæ sunt, quod in adeo immeritos benefaciendi excesserit modum. Æmulus & inimicus, æmuli ac inimici bonum quodcumq; proprium damnum reputat: & quantulum sit, supra dignitatem illius putat esse. Insitam etiam scribit non nemo *o* mortalibus naturam, recentem aliorum fœlicitatem ægris oculis introspicere. Quamquam tantus fęlicitatis excessus potest esse, ut superet invidiam: & quod Plutarchus *p* Alexandro scripsit, faciat esse extra invidiã; & id quoq; accidit, si accedat opinio probitatis: quia *in bonis justorum exultat civitas* q. Quomodo præsens Gentium sententia gratulationem & approbationem continebit, sicut illa vicinorum & cognatorũ Elisabeth postquam peperisset, quum dicerent *r*: *quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa*. Revera magna iniquitas nostra, & *magnificavimus* adversum Deum *supplantationem* s: sed non major, ut mentitus est Cain, quam ut veniam consequi *t* possit: atq; infinitum *magnificavit Deus facere nobiscum*, *superexaltat misericordia judicium* u: superque Arcam, qua lex includitur, propitiatorium est *x*; quia propitium oportet Deum esse, ut observat August. *y*; cum lex à quovis proficiente non ex omni parte compleatur. Ipsi nobiscum, ait hoc loco idem, malefecimus, non tantum cum Deo, ipsius tam male beneficiis respondendo; quia sub peccato nos vendidimus: solus Deus absolute facit, & dicendo facit, & benedicendo benefacit: homines verba funditant, nihil, & benedicẽdo benefacit: homines verba funditant, nihil, aut parum præstant; prolixe loquuntur, modice, nihilve operantur: diligunt verbo & lingua, non opere & veritate z: *diligunt in ore*, *lingua ipsa mentiuntur a* sunt *sperantibus in ipsis dens putridus*, *pes lassus*, & ut is qui *ammittit pallium in die frigoris* b: præterea, dum gloriose promissa non complent, velut nubes, & ventus, & pluviæ non sequentes *c*: postremo tamquam *baculus arundineus* d. Bernardus *e*, perpendens beneficium Angelicæ custodiæ, prorumpit in has voces. *Confiteantur* f, *Domino misericordiæ ejus*, & *mirabilia ejus filiis hominum: confiteantur, & dicant inter Gentes quoniam magnificavit Dominus facere cum eis*. Eamdemq *g*, rursus merito applicat sententiam ad Religiosos, quibus non solum *judicia manifestavit* h; sed etiam consilia; non solum in servos assumsit, sed *elegit in amicos, & posuit ut eamus, & fructum afferamus* i. *Magnificavit anima Marię Dominum* k, *quoniam* agnoscebat illum, *qui potens est, in se fecisse magna* l. Deniq; *confessio & magnificentia opus ejus* m, idest, laude dignum & honore, quem ibi significat *magnificentia*, quia *magna opera*, ut ibidem proxime ante *n*, canitur.

l *cap. 2. 21.* — m *Luc. 1. 58.* — n *Gen. 19. 19* — Aemulus & inimicus æmuli ac inimici bonũ quodcumq; propriũ putat damnum. — o *Tacit. 2. histor.* — Fœlicitatis excessus invidiam superare potest. — p *opusc. de odio & invidia.* — q *Pr 11. 10.* — r *Luc. 1. 58.* — s *Ps. 40 10.* — t *Gen. 4. 15.* — u *Jacob. 2. 13* — x *Exod. 35. 17.* — y *qu 105. in Exod.* — z *1. Joan. 3. 18* — a *Ps. 77. 36.* — b *Pr. 25. 19.* — c *vers. 14.* — d *Esa. 36. 6.* — e *serm. 12. in ps. 90.* — f *Ps. 106. 8. 15. 21. 31.* — g *serm. contra pessimum vitium ingratitud.* — h *Ps. 147. ult.* — i *Joan. 15. 16.* — K *Luc. 1. 46* — l *vers. 49.* — m *Ps. 110. 3.* — n *vers. 2.*

Vers. 3.) Magnificavit Dominus facere nobiscum; facti sumus lætantes.

ARripiunt libenter liberati, moxve liberandi de captivitate populares priores voces, approbant, confirmant, grati, lætiq; congeminant, omnino magnificavisse Dominum facere secum, magni ipsos fecisse, magnis beneficiis affecisse, magnifice se gessisse, præter spem, meritumque egisse, de tam miserabili captivitate, ad patriam dilectissimam, ac dulcissimam revocando; Unde tanta pro mœrore tanto lætitia successerit, tam ingentis gaudii, adeo justa & plusquam sufficiens caussa extiterit. Quod illi forsitan invidiose, atque cum indignatione dicebant, tamquam de indignis, ipsi tales esse se confitendo, tantoq; beatiores prædicando, festive repetunt, summaque cũ humilitate. Simili quadam ratione quum Chananæam Christus rejicere visus esset, canem tacite nominando, fiduciæ nihilominus plena, cognomen acceptavit, ac se catellis similē professa est, non pane filiorũ dignam; attamen ad cadentes de mensa Domini micas inhiantẽ *o*. Oportet eos, qui beneficii magni fructum, voluptatemq; capiunt, multo pluris id æstimare, quam qui id in se non experti, in aliis dumtaxat spectant, & mirantur: quod magis quoq; verum videtur, si fit beneficium spirituale; Id ipsum etiam ait Hilarius veluti verbis justorũ ex sensu adeptæ hujus beatitudinis nos quoq; confitemur in oris gaudio, & linguæ exultatione: lætamur enim de profundo, ac miserabili cęno nunc ablutos nos fuisse, & novos ex omnibus vitę anterioris vitiis constitisse. Infęlices nõnulli amant infœlicitatem, ac ærumnam exilii sui, ut de qui-

Sensus loci. — o *Mat. 15. 27*

qui-

quibusdam in Babylone Judæis, qui reverti noluerunt, scribit Josephus *a*, tantulæ facultatulæ addictis, quam ibi acquisierant. Quin etiam ipse labor, quasi callum quoddam in quibusdam obducit dolori, & scutum, gladium, galeam, in onere militis non plus numerant quam humeros, lacertos, manus, arma, membra militis esse dicentes *b*. Avicula caveę assueta vel inde egredi non vult, vel emissa regreditur: Feriato quoq; die bos jugo cervicem offert. August. *c*, fatetur aliquando se volutarum in cœno Babyloniæ, tamquam in cinnamomis, & unguentis pretiosis. Cui displicet, grave; suum exilium videtur, & molesta captivitas, liberationem & reditum in Patriam summi beneficii ducit loco. Decet profecto, ut ad adeo magnificum Dominum magnificandum, alios, quia ipsi *minores sumus cunctis miserationibus ejus* d, provocemus, ut *magnificent nobiscum*, *e*, & ut exundantem lætitiam nostram in eos diffundamus; cumque illis communicemus. Sed nec absonum est, aliena uti sententia, testimoniove, quamvis hi priores usurpant, inimici sint: immo majores id in eosdem vires habet. Ea de caussa Paulus ex inscriptione quam, *Ignoto Deo*. Athenis reperit, occasionem disputandi sumsit adversus superstitionẽ *f*, ut omittam Arati *g*, versum, & alia ejusdem Apostoli exempla, de quibus alias memini Tertullianus *h*, versum illum, quem citat Paulus *i*, ex Menandro, ipse autem sic effert, *bonos corrumpunt mores congressus mali* vel *confabulationes malæ* k, & Hieron *l*, *pessimæ*. Cyprianus *m*, vero, *corrumpunt ingentia bona co fabulationes pessimę*.

φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί.

hunc inquam, versum profani Poetæ, sanctificatum scribit per Apostolum: & in genere Origenes *n*, ait ab illo profana sanctificata, Hieron. *o*, facta Ecclesiastica. Qua ipsa de re legendus August. *p*, & alibi à me alii citati *q*. Non est aptior, melior gladius, quam Goliæ *r*, inimici contra inimicos alios.

a *Antiq. l. 8.* — b *Cic. Tusc. 2* — c *2. Conf. c. 3.* — d *Gen. 32. 10* — e *Ps. 33. 4.* — f *Act. 17. 23. & seq.* — g *ibid. vers. 28* — h *1. ad uxor. 2, 8.* — i *1. Cor. 15. 33* — K *3. ad uxor* — l *epist. 22* — m *ad unit. Eccl.* — n *hom. 31. in Lucam.* — o *epist. 8* — p *7 confess. c. 9. & de civ. c. 9. 1. contr. Cresc. c. 12* — q *Act. 17. 28.* — r *1. Reg. 21. 9*

Magnificavit Dominus facere nobiscum.) Chaldaicè eodem modo, quo in versu priore, *multiplicavit Dominus facere nobiscum benigne*, intelligendi vero sunt hi, qui hęc verba repetunt à Gentibus antea prolata, cum quadam emphasi ea usurpare. Plane ita est, omnino vera locuti estis, experti longe melius veritatem sententię vestrę alieverare possumus, fatemur beneficii magnitudine superari spem, cogitationemq; nostram non modo meritum. Non potuit alius, quam magnus hominum Dominus Magni Persarum Regis, ut cognominari passim solet, cor, quod in suis habet manibus, ut & cujuslibet alterius Regis *s*, ad nos tam benigne, liberaliter, magnificę liberandos convertere; Magnificentia quædam hic visitur major quam cùm ex Ægypto dimissi sumus: quia plagis id inpetrãdũ, ac extorquendum fuit, & pro viatico suffurandũ, quodámodo ab Ægyptiis; nunc Rex ipse Cyrus edicto publicato decrevit liberationem nostram, & munificentia, magnificentiaq; singulari juvit instaurationem templi *t*. *Miserationum Domini recordari nos* oportet, *laudẽ Domini super omnibus*, *quæ reddidit nobis Dominus*, & *super multitudinem bonorum*, *quæ largitus est secundùm indulgentiam suam*, & *secundùm multitudinem miserationum suarum* u. Plurimi refert scire, ac æstimare *quę à Deo donata sunt nobis* x: nihil magnificentius, quam maximum Deũ jungi homini minimo societate personæ; & in omni gente, quæ audit nomen *Mariæ*, magnificatur super eam Deus, quia sic *à Deo benedicta est y*, ut in ea homo fieri dignatus sit. Idcirco *magnificavit illa Deum*, & *exultavit spiritus ejus in Deo salutari suo*, *quia*, ut ante dixi, *fecit in illa Deus magna* z. Observat Scepræus *nobiscum* dici Hebraicè עמנו *hhimanu*, dimidium nominis עמנואל *hhimmanuel*, sive *Emmanuel*, quod significat *nobiscum Deus*. Sed idem pluribus aliis in locis occurrit.

Facti sumus lætantes.) Aug., cum vetere Psalterio, *jucundati*. In textu Hilarii *sicut letantes*: sed irrepsit *sicut* abestque a codicibus nonnullis: & si retineatur, non magis minuit, quam in primo versu, *facti sumus sicut consolati*. Neque oportet, ut illud plus dicamus, quam hoc significare. Certe potius majus quid est εὐφραίνεσθαι, quam παρακαλεῖσθαι. Non etiam dicerem, minus gaudium sensisse Abraham quando *vidit Christi diem*, & *gavisus est*, quam quum *exultavit*, *ut videret* a. Remissio ista gaudii, & lætitiæ post præsentiam, & experientiam objecti delectabiles, oritur sæpe in rebus externis, ac mere naturalibus, quæ desiderio, spe, expectatione, opinione deprehenduntur minores: contra evenit circa res divinas, & supernaturales. Providenter ut scribit Chrysologus *b*, cępit Dominus, dicendo, *Nolite timere pusillus grex* c. priusquam subderet, *quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*: quia promissionem regni sine timore servilis status audire non sufficit: & qui libertate vix dignus est, capere nõ valet insulas principatus: & regnum velle servum, crimen est: audire, periculum, temeritas non timere. Idem accidit, quando Christus *mansiones multas in domo Patris sui esse* dixit, eoque se ire velle, ut pararet suis locum; præfatus est etiam, præmonendo, ut non turbaretur cor eorum, neque formidaret *d*. Rectè præterea notatum ab eodem Chrysologo, post tantam largitatem, post suam gratiam copiosius collatam jussisse Christum abjecta, & vilia peculia servitutis abjicere regnaturum, vendendo quæ possidentur, & dando eleemosynam; plebejum namque cultum à regia non admitti potestate; angustum honorem nonnisi diademate conferri, & purpura: abjicere debere habitum servitutis, qui se Regem credit divinitus consecratum. Hęc ergo lætitia vera & sincera, de vilissima captivitate transferri ad amplissimam dignitatem. Quasi consolatos affirmare se poterant, sicut prius, aut juxta Hebræam phrasin, quasi somniantes, vel ob incredibilem jucunditatem, vel propter jam præteritas; & ideo quasi tantum somniatas, calamitates. *Mulier quum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus; quum autem peperit jam non meminit pressuræ, propter gaudium* e. *Miseria obliviscitur, qui evasit, & quasi aquarum, quę pretierunt, recordabatur* f: nimirum quę nullum relinquunt vestigium, ut sequens indicat versus. *Non recordatur dierũ vitæ suæ (ærumnosæ) cujus Deus occupat cor deliciis* g: & *oblivioni apud eum traduntur angustiæ priores, absconduntur que ab oculis ipsius* h. Peregrinis Christum, quem sibi similem arbitrabantur, peregrinum mirantibus *non cognovisse quæ facta fuerant in Jerusalem*, Christus sciscitando respondit *i*. *Quæ* quasi priorum oblitus malorum, nec memor injuriarum.

s *Pr. 21. 1* — t *1. Esdr. 1. l. 4 2. & seq. 2. Paral. 36 21: 22. Jer. 29. 10. & seq* — u *Esa. 63. 7* — x *1. Cor. 2. 12* — y *Judith. 13: 23.* — z *Luc. 1. 49.* — a *Joan. 8. 56* — b *serm. 33* — c *Luc. 12: 32* — Servilis status regni promissionem sine timore audire non sufficit. — d *Joan. 14. 1* — Præteritarũ calamitatũ secura recordatio delectationem affert — e *Joan 16. 21* — f *Job. 11; 16* — g *Eccl. 5. 19* — h *Esa. 65. 16.* — i *Luc. 24. 19*

Vers. 4.) Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.

QUam Propheta cecinit de captivitate liberationẽ ut jam factam, ob vaticinii certitudinem, atq; ex eadem velut edepta lætitiam, & exultationem, nunc orantes inducit, & efflagitantes pro ipsius adeptione; vel certe, si jam redundi potestas facta fuerat, eaque usi non pauci; hos pro iis, qui remanserant, ut esset absoluta, completaque liberatio, & de liberatione gaudium plenum, postulantes. Redierunt primũ aliqui cum Esdra, deinde alii cum Nehemia: Similitudinis autẽ ex torrente in Austro, vis in hoc est; quia flante Austro, torrens facillimè, velocissimè; plenissimè fluit, & solum arens, quale præsertim in Australi regione solet esse, irrigat ex insperato; collectis aquis pluviis, aut colliquefactis iis, quæ conglaciatæ erant. Quare quemadmodum perustus æstu, & ariditate campus horret, sic captivorum anima sine aqua, ut alibi *k*, David loquitur, gratiæ, favorisque divini, mesta, & squalida jacet. Idcirco petunt captivi hoc imbre perfundi, vel qui redierunt, pro his, qui remanserant, ut reduces in patriam, novo veluti germine lætitiæ, gaudiique vestiantur, & ornentur. Vi etiam quadam opus innuit, impetu, vehementia, celeritate, qua protrudantur, & sparsi colligantur ad repetendum inter in patriã, ut observant Græci, *Benedictio Dei in mercedem justi festinat*, & *in hora veloci processus illius fructificat* l. Posset præterea opposito quodam modo comparatio exponi; ut cito, quasi torrens flante Australi, Meridionali calido vento, captivitas exarescat, & finiatur. Tertio Theodoretus, & Euthymius *Austri* nomine arbitrantur Jerusalem designari à situ; quia videlicet respectu Babylonis ad Meridiem; & significari, ut eo captivitas convertatur, & captivi reducantur. Sic, inquit Theodoretus, ab Ezechiele, & ab Abacuc Jerusalem nominari. Facit ad primum dicendi modum versus Euripidis, citatus ab Aristotele *m*,

Sensus loci. — Vis similitudinis ex torrente in Austro — k *Ps. 142. 9* — l *Eccl. 11. 24* — m *2. magno moral. cap. 11; vel 12.*

ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖα, ὅταν ξηρὸν πέδον.
Amat imbrem terra, cum solum exarescit.

Item alii ejusdem, quos idem recitat Philosophus *n*, quibus ait.

ἐρᾷν

ἐρᾷ μὲν ὄμβρυ γαῖαν ξηρανθῦσαν,
ἐρᾷ δὲ σεμνὸν ὔπαρδς πληρὔλενον ὄμβρυ, πεσεῖν εἰς
γαῖαν

Item est, quod

Tellus quidem imbrem amat, ubi campus aridus
Ob siccitatem sterilis humore indiget:
Cœlum ut beatum, quum refertum est imbribus,
Ardet cadendi mira in humum libidine.

Vel,

Humentem amare pluviam, quum terra est arida,
Cęlumque sacrum quum gravatum est imbribus,
Telluris arentis cadere in sinum appetere.

Vel,

Requirere imbrem terram, ubi siti aruit,
Diu vicissim cęlum, ubi jam nubibus
Impletur, optat in solum delabier.

a lib. 15. Meminit ité de hac Euripidis sententia Athenęus *a*. Attendi quoque debet ratio similitudinis in concretis gelu aquis per hybernum tempus; deinde vernali tempestate dum flant Austri, liquefactis, ac in torrentem libere excurrentibus, quasi vinculis resolutis, & catena, seu compede quodá captivitatis liberatis. Sic loquitur Poeta Liricus *b* (b Hor. lib. 1. Epig. 3)

Thraca ne vos, Hebrusque nivali compede vinctus,

Sic etiam Heroicus *c*.

Et quum tristis hyems etiam tunc [num] frigore saxa
Rumperet, & glacie cursus frenaret aquarum,

d Ovid. 2. de Pont. eleg. 2.

Sic Elegiacus *d*.

Undaque vincta gelu.

Sic præterea in Epigrammate, quod Germanico Cæsari tribuitur, dicuntur *frigore frenatę aquæ*. Sic Poeta Christianus Sydonius *e*, *Cursũ ligatum laticum Hebri.* Sic ante omnes Lucretius *f*. *gelu magnum duramen aquarum morãque quę fluvios passim refręnet euntes*. Sic deniq; Nazianzenus *g*, describens vernum tempus ait, quod *eo tempore flumina uberius fluunt hybernis vinculis soluta* τῶν χειμερίων δεσμῶν λυθέντα. Qui remanserant in captivitate, quãvis cũctis exitus patefactus fuerat, vel metu retinebantur; vel jam assueti servituti laborem, & pericula itineris recusabant, vel adhærebant emolumento præsenti, sicque remeare aut non audebant, aut nolebant. Quæ impedimenta concinne cum glacie & gelu comparantur, oraturque ut tamquam valido, & calido immisso Austro cõpellæntur conglaciati isti homines ad refluxum in patriam. Significari etiam potest hac oratione exerendam ea in re potentiam Dei, quæ non minus necessaria sit quã ut fluvios decurrere faciat in desertis locis. Nec deest, qui explicet veluti Genebrardus, ut quemadmodum olim torrens, idest, extracta de petra miraculose aqua, egressos ex Ægypto recreavit in deserto, sic nunc Deus educẽdo de Babylone, recreat; ac, si sit opus, miraculo simili refocillet Tãdem involvitur hic desiderium, ut maximo numero redeant captivi, & majore quam abierant ex patria, perinde ut solent; quum advenit Ver, & Austri flant, torrentes & aquæ ceteræ copiosius fluere mense primo, qui Martius est, aut quandoque Aprilis, *inundare consuevit super ripas suas Jordanis h:* sive *tempore messis* i, quæ in Palæstina circa illud tempus fere contingit *Tigris in diebus novorũ* k. In nominatus Auctor Græcus apud Agellium vult hac similitudine indicari tantam in Babylone multitudinem remansisse, ut eorum conversio, reditusq; cum fluentis Ægyptiorum fluminum cõparetur: *torrentem* autem *in Austro* quem Propheta memorat, esse ad Rhinocolutam in Aegypti sitam initio; cumq; ille ob vehementiores imbres decurrit vehementius, Saracenorum tabernacula cum ipsis, corumq: præda demergere, & Rhinocoluram, unde illi prædam egerant, velut reducere ac ei restituere: simili quodam modo Prophetam optare, ut Deus adversarias potestates, quæ nos captivos ducunt, aqua baptismi interficiat, & per eamdem aquam nobis restituat gloriam & libertatem, quam illæ abstulerunt. Ablato mysterio, posset videri allusio quoq; litteralis. Trevetus alludi credit vel ad aquas Jordanis, quę retrorsum conversæ sunt Hebręis transeuntibus *l*; vel ad torrentem Arnon, quem divisit Deus, & aquas ejus reverti fecit ut transirent.

e in paneg. Anthem. f lib. 6. g Orat. 42. h 2. Paral. 12 15. i Josue 3 15 Eccl. 24. k vers. 36 l ps. 113. 5. Jos. 3 16.

Sensus mysticus. Mysticè vero is, qui dicitur Hieron., August., & alii exponunt, quod gelaveramus in captivitate spirituali, constringentibus nos peccatis nostris; flavit autem Auster Spiritus sancti: & dimissa sunt nobis peccata, solutique sumus à frigore iniquitatis; quia *sicut glacies in sereno* in Solis splendentis ardore, quando fere vigent Austrini venti, sic *solvuntur peccata nostra* m. Alibi rursus Aug. *n*, ait Diabolum & Angelos ejus à luce atq; fervore charitatis aversos, & nimis in superbiam, invidiamq; progressos, vult glaciali duritia torpuisse; & ideo per figuram tamquam in Aquilone poni: ac peti ut *exurgat Aquilo*, idest, abeat, & *veniat Auster* o Spiritus S. Citat in eodem sensu præsentem locum, de captivitate sub diabolo, tamquam sub Aquilone: alium de refrigescente charitate *p*, & jam citatum de peccatis solvendis, *sicut glacies in sereno solvitur*. Postremo explanans in ps. 147. emittente verbũ suum Deo liquefieri res frigidissimas, flante spiritu, seu vento, fluere aquas, quia solvitur duritia peccatoris, de præsenti loco ait, quod captiva Jerusalem tamquam congelaverat in Babylonia, sed flavit Auster, solutus est rigor captivitatis, & cucurrit in Deum fervor charitatis. Imitatur hunc sensum Gregorius *q* docens, quod Auster ventus in S. Spiritus typo poni solet; ut è contrario, per Aquilonem sæpe Diabolus designatur; quia & ille relaxat in calore, & iste restringit in frigore: *in lateribus Aquilonis habitationem quærens* r: diciturque *refrigescere charitas* s, & improbus *frigidam facere malitiam suam, sicut frigidã facit cisterna aquam* t: & quia torporem mentis, S. Spiritus, inquit, gratia relaxat, hinc Psalmista ait, *Converte Domine captivitatem nostram sicut torrens in Austro*. Captivitas enim nostra, quę torporis frigore ad sequendum Deum pigra remanserat, per calorem S Spiritus relaxatur. Deniq; notat, quod apud Ezechielem *u*, civitas, quę in monte cõstituta est, ad Austrum vergit, quia electorum Ecclesia cogitationes suas in afflatu S. Spiritus aperit: atq; ab omni superbiæ suæ vertice discedens in Deo, cui credit, amoris calorem concipit. ut nihil ei libeat nisi ejus gratię submitti, ejus dilectione calefieri, ejus afflatus semper munere repleri. Similia lego in Philone Carpathio, qui est utroq; vetustior, dum explanans Canticum canticorum, tractat illud Aquilonis ut exurgat, & de Austro, ut veniat, sicq; fluant aromata: Ita ille & hunc accipi psalmi nostri locum. Aliter adhuc Gregorius *x*, attribuens gentilitatem Aquilonis portæ, de qua Ezechiel *y*, quia illam in torporis frigore possidet, qui *sedere in lateribus Aquilonis* vult z: Australi Judæam, in qua spirituales putei cœlesti amore ferbuerunt: profert hujus loci sententia aitque et si carnalem populum Judæa habuerit, in quo velut Aquilonis frigora portavit, in Sanctis tamen suis Doctoribus, ac Prophetis ad Deum & proximum calore charitatis arsisse. Adde præterea, quemadmodum torrens aridus converti nequit in Australi terra ad cursum, & fluere sine pluvia; sic nostra converti non potest captivitas peccati, absque undis lacrymarum, saltem cordis, si non oculorum. Tolebat lacrymans Magdalena *a*, converti captivitatem suam, ab Aquilone peccati, diaboli, ad Austrum gratiæ, atque Christi: non tolli, sed mutari cupiebat captivitatem, istius veluti sententiam loci usurpans. De hac in officio quodam Eccl canitur; *flavit Auster & fugavit Aquilonem: quando lavit cor Mariæ pœnitenti imber S. Spiritus: liquefecit & refecit resolutam illam mentis (in lamentis) Verbum missum cælitus*. Item in sequentia, ut vocant, Missæ de eadem, qua ut untur Prædicatores, *Auster fugans Aquilonem, lux illustrans rationem, in amorem perficit. Delet Deus, ut nubem, iniquitates b*, quæ Solis calore, Austrique impulsu resolvitur in pluviam qua terra irrigata fœcundatur. Non admodum idonea similitudine quidam *c*, utuntur hinc, & ex psalmo 147 de colliquescentibus Austri opera gelatis aquis: ut quemadmodum ista colliquefactio vel simul tota fit, vel in parte, juxta venti vim, & calorem, ita reviviscant in pœnitente priore merita, vel omnia, vel ex quadam tantum parte, pro dispositione contritionis. Opinio ipsa parum certa est, ac mihi quidem opposita, de plena rivivisc entia longe verior videtur. Nec profecto August. in istius exempli explanatione ullo modo favet, ut illi tamen affirmant. Deinde, quę libet vera contritio sufficit ad gratiam conferendam, qua pręsente impedimento omne removetur à meritis mortificatis. Hinc potius, mystica sectando, colligere est, quanta sit ad peccatoris conversionem necessaria gratia, seu quam sit gratiæ illum convertentis vis magna, quæ cum vento, & torrente comparetur. Ipsemet Deus. ut maxime potens, & robustus concipiatur, solitus cognominari *Dominus exercituum*, de conversione hac loquens, ter id cognomen attribuit sibi, *d Hæc dicit Dominus exercituũ, Convertimi ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum*. Paulus *e*, etiam conjungit

m Eccl. 3. 19. n Epist. 120. cap. 22. o Cant. 4. 16 p Mat. 24 13 Ratio cur Auster Spiritum sanctũ Aquilo Diabolum sæpe designet. q hom. 13 in Ezech. & in Cant. cap. 4. r Esa. 14. 13. s Mat. 24. 13. t Jer. 6. 7. u cap. 40. 2. x hom. 22. in Ezech. y cap. 40. 20. z Esa. 14. 13. a Luc. 7. 38 b Esa. 44. 22 c Didac. Alvarez. 7. de annal. disp. 61. d Zach. 1. 3. e Eph. 1. 19.

jungit

jungit *magnitudinem supereminentem virtutis Dei in nos, qui credidimus, cum operatione, quã operatus est suscitans Christus à mortuis*: quæ virtus celebrari solet ut eximia. Inferri præterea debet, captivitatem nostram malam meliore permutandam, hoc est, ea quę est in Christo, ut is hanc secum vehat captivam in cœlum *a*, *suos captivos redimens victor triumpho nobili b*: & qui liberi vocantur in ipso, servos se sciant esse in eodem; & *liberati à peccato*, cujus servi erant, *justitiæ servi fiant*, cujus erant liberi *c*: nec utantur *libertate tamquã velamine malitię d*, non jam sibi vivant, sed ei, qui *pro ipsis mortuus est* e; *nec vivant jam ipsi, sed vivat in ipsis Christus f*. Captivitas fœlix, quum ad bonum homines capiuntur, inquit Augustinus *g*; ut idcirco Petro Christus dixerit, *h. Ex hoc jam eris homines capiens*. Adhæc, quod orant jam reversi de captivitate pro illis, qui detinentur adhuc, vel consistunt in eadem: arguit: quanto zelo teneantur salutis alienæ justi, & qui vivunt hic, & multo magis qui plane perfectã consequuti sunt libertatem in cœlo, *i Venite*, inquiunt, pro suo utrique modo, *ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob*. Æmulantur exemplum, & benevolentiam Andreę & Philippi, ut Hieronymus *k*, observat, quorum uterque inventus à Christo, fratrem Simonem, & amicum Nathanaelem invenire desiderat *l*: præterea Loth, qui cum filiabus salvare conjugem optavit, deque incendio Sodomæ, & Gommorrhæ pene semiustus educere *m*; aliorum etiam, quos idem recenset. Ad extremum, *captivitas conversa sicut torrens*, innuit copiosiorem reddi tribulatione Ecclesiam, persecutione crescere, sanguinem Martyrum semen esse, quod multiplicatur, ut asserunt Tertullianus *n*, Hieronymus *o*, Leo *p*, Augustinus *q*.

a Eph. 4. 8 ps. 67. 9. b hymn. de Ascens. c Rom. 6 18. 20. d Petr. 2. 16 e 2 Cor. 5 15 f Galat. 2. 20 g in ps. 67. h Luc. 5. 10. i Es. 2. 3. Micha 4. 2 k epist. 46 l Joan. 1. 41. 42. 45 m Gen. 19. 24 n apolog. o epist. 62 p serm. 2 de Petro, & Paulo. q 1 P. de civ. cap. 32.

Converte Domine.) Mendum sine dubio est in iis codicibus, qui habent *convertere*: quia שׁובה *sciuvah*, & ἐπίστρεψον, sunt verba vocis activę imperativi modi: & si legas *convertere*, imperativè in passiva voce, supplendum erit aliquid, ut consistat sensus nempe *captivitatem nostram converte sicut torrens, in Austro converti solet*.

Captivitatem nostram.) Quę initio vocabatur *captivitas Sion*, eam appellant suam captivi, vel iam liberati, & pro aliis, qui remanserant; orantes; vel pro seipsis qua liberationis magnam spem conceperant. Charitas primo modo communem facit aliorum calamitatem: pietas rationem habet honoris divini, & cultus, qui Sion exercebatur. Utrumque antea notavimus.

Sicut torrens in Austro.) Hieronymus; *sicut in rivos in Austro*. Alii, *sicut torrentes*. Plurali numero sunt אפיקים *apiKim*, & χειμάῤῥοι, hocque Græcum nomen in accusativo, qui casus nunc reddit sensum, *Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrentes in Austro*, hoc est, quemadmodum protrudis illos, & impellis, dum Austro flante implentur aquis: vel captivitatẽ converte, ut sit similis torrentibus, dum convertuntur in Austro, & sicci prius absque omni humore, aut præ ęstu, aut ob congelationem, reducuntur, ut copiose flant: quoniam Auster vel cogit nubes, & in pluviam resolvit vel dissolvit glaciem, gelu, atque *illo spiritu flante fluunt aquæ r*. Hoc modo torrentem, torentesve in Austro intelligimus, qui per Australem ventum existunt, accipiendo *in* pro *per*, ut alias fit: quæcumque tandem sit hujus rei utilitas, quam non est necesse attendere, quum possit etiam importare damnum Vis autem similitudinis erit in celeritate cursus ad celerem quoque reditu denotandum, ac reductionem, qualis esse etiam solet earum rerum, quas secum torrens abripit, devolvitque Vel in facilitate, quæ cernitur in fluxu aquarum, quum flat Auster *spiritus Dei ferebatur initio super aquas s*: *inspiravit Deus in homines spiraculum vitæ t*: Christus insuflavit, dando Spiritum S *u*: *flante Deo pereunt, & spiritu iræ ejus consummuntur operantes iniquitatem* x. Sed nihil vetat haberi rationem utilitatis ex irrigatione, cujusmodi Nilum Ægypto, Mesoptamiæ Euphratem Indum variis regionibus conferre Cicero *y*. scripsit. Eodem pertinebit Auster non pro vento: sed quod nonnullis magis placet, pro Australi situs plaga ficciore, aridiore, steriliore, ut sunt Arabiæ deserta: sic videlicet gratam, jucundaq; captivis reversionem accidere, quomodo loca illa fluentibus aquis recreantur: aut adeo difficilẽ esse redutionem captivorum; quam est difficile, ut per hujuscemodi loca torrida transeant torrentes & aquarũ alia fluenta. Favet Paraphrastes Chaldæus. *Converte Domine captivitatem nostrã. sicut convertitur terra, quãdo erumpunt in eã exitus aquarũ* vel *abundant fluenta aquarum tempore siccitatis*. Deinde quod Hebræum nomen נגב *neghev* non soleat exponi *ventus Australis*, sed *plaga locus* vel *desertus*, & *aridus*, aut *Meridies*, aut *planities*. Nihilominus non idcirco respici potest immo prẹferri etiam debet communior alia expositio, Austrum accipiens pro vento, qui torrentem excitet. Nam Græca vox νότος præcipue, ac per se *ventum* significat: inde autem transfertur interdum ad significandam plagam meridionalem, unde existit, & ubi viget. Thucydides hoc modo usurpavit περιορμισάμενοι τὸ πρὸς νότον τῆς πόλεως, *impetum facientes*, aut *aggredientes partem civitatis* aut *latus Australe*. An porro Austrum in Scripturis semper accipere debeamus secundùm notionem rei bonæ, docui in commentario Ecclesiasticæ z. Quod ipsum contigisse potuit Hebreo dicto nomini, licet interpres nullibi id reddiderit pro vento. De Latino *Austri* vocabulo constat usum utrũque habere. Postremo, qui *torrens* hic appellatur, eo quod forsitan legerit Interpres apud LXX. singulare χείμαῤῥος non autem plurale χειμάῤῥους, plurali numero dicuntur Hebraicè, אפיקים *apiKim*, *aquę cum impetu, & vehementia defluentes*. Aquila vocat χειμάῤῥους: Symmachus ὀχετοὺς *rivos*: V. editio ἀφέσεις, *emissiones*, *Torrens* exponitur adhuc alibi *a*, qui raptim transit, aut *rivus*, aut etiam *fons*. Ultimi exemplum est psalmo 17. *b*, *apparuerunt fontes aquarum*.

r Ps. 147. 18. secund. Heb. s Genes 1. 2. t ibid. cap. 2. 7. u Joan 20. 22 x Job 4 9 y 2. de natura deorum. z in c. 11. a Job. c. 13. b vers. 16.

Vers. 5.) Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

Sensus loci. Post interpositam orationem ad Deum pro captivitatis liberatione antea prædicta, perinde ac si jam obtenta esset: aut saltem quantum ad eos, qui beneficio liberationis oblatæ uti noluerunt, hortatur vel omnes, vel eos qui remanserant, ne absterreantur timore laboris, & periculorum in itinere subeundorum: nec illiciantur, ac detineantur amore non nullorum bonorum, quæ sibi forsitan in loco captivitatis comparaverant. Nam sine lacrymis, dolore, labore, sudore, jactura nonnulla, nemo seminat: & tamen agricola seminat propter spem messis, quæ cumulato fructu, gaudioq; mala cuncta in seminando & colendo obita, compenset. Est ergo diversa hæc à priore de torrente, similitudo. Quamquam posset eadem censeri, quatenus in Australi terra, quoniam aridior est agricola minus libenter, quam alibi, & magis veluti mẹrens seminat, veritus damnum jacti seminis nullo humore madefacti, at ubi torrens per arentes campos inundarit, lætasq; segetes fecerit, replentur & ipsi metentes exultatione, defectosq; lætantes manipulos reportant. Prẹterea potest exponi cum Græcis, non de ipsius reditus difficultate & lætitia post reditum; sed de difficultate, ac mœstitia in descensu ad locum captivitatis; post factam vero redeundi potestatem de ipsomet reditu, quousque sit in patriam perventum veluti cum manipulis. Vim apud spirituales peregrinos longe majorem hęc exhortatio habet, qui amore cœlestis patriæ sciunt quotquot hic labores perferunt & dolores; quæcumq; dispergunt dando pauperibus; quæ alios docendo patiuntur (operarii in messem missi, sed post seminationem *c*,) semina quędam esse magno cum fœnere fructuq; multiplicanda, semina, inquam, sunt lacrymæ ipsæ in hoc novo agricolturæ genere, non solum opera alia bona, nominatim Eleemosynæ; quibus id Apostolus *d*, tribuit, ut innuitur psalmo 11. *e*, quum in agricultura externa humor aquæ non seminetur, nec seminari possit in aqua. *Seminans parce, parce & metit: seminans in benedictionibus*, idest, multum copioseq; proportione quoq; messem facit *f*: qui nihil seminat, inquit August., nihil metit. Bonam voluntatem, si facultas desit idem sufficere, docet, ut *bonæ voluntatis* g, homo metat pacem: magnam bonam voluntatem habuisse non modo Zachæum Christi hospitem, & *dimidium bonorum suorũ dantem pauperibus* h. *sed* viduam quoque, *mittentem duo minuta in gazophylacium* i; sed eum præterea, qui *calicem aquę frigidę tantum dat* k: sed postremo & illum, qui nihil habet præter bonam voluntatem, & charitatem solutam calore Austri, hoc est, charitatis. Proponit agricolæ exemplum, qui procedit ad seminandum quamvis frigidus ventus sit, (qui enim observat ventum non seminat *l*,) imber ruat, videat diem tristem, tremat frigore: operans *non deficit, ut tempore suo metat non deficiens* m. μὴ ἐκλυόμενοι, *non dissolutus viribus, non tædio affectus*, ut Syra-

c Mat. 9. 37. 38. ubi Hieron. d 2. Cor. 9. 6 e vers. 9. f 2. Cor. 9. 37 g Luc. 2. 14. h cap. 19. 8. i Luc. 21. 1. 2. 3. 4. k Mat. 10. 42. l Eccl. 11. 4. m Gal. 6. 9.

trans-